

F.K. 63.

13

X 2054074

IV, 46.

Z d  
1355

AD  
**ORATIONEM  
PARENTALEM**

in obitum,

DUORUM PRÆCLARISSIMORUM FRATRUM  
**VIRO RUM**

Summè Reverendorum, Magnificorum, Ampliffi-  
morum, atqve Excellentissimorum.

**D<sup>N.</sup> D. JOHANNIS  
OLEARIII,**

Reverendissimi, ac Serenissimi Principis ac Domini, Do-  
mini **AUGUSTI**, Archi-Episcopatus Magdeburgensis Administratoris, Ducis  
Saxon. Jul. Cliv. & Mont. &c. felicissimæ memoriæ, & post beatissimum hujus obitum, Serenissi-  
mi Principis ac Domini, Dn. **JOH. ADOLPHI**, Ducis Saxon. Jul. Cliv. & Montium &c. Con-  
cionatoris aulici primarii, Consiliarii Ecclesiastici, & Superintendentis  
generalis fidelissimi;

**D<sup>N.</sup> D. GOTTFRIDI  
OLEARIII,**

Elect. Brandenburg. in Circul. Salin. Ducatus Magde-  
burg. Inspectoris primarii, Halæ ad B. Virg. Pastoris, & Ecclesiæ ibidem Superinten-  
dentis, ut & Scholarchæ vigilantissimi,  
de universa Ecclesia Christi meritissimorum,

*vñv èv àγλοis,*

Craftino die XIV. Aprilis, horâ VIII. matutinâ post  
peracta sacra, in Collegio Majori Principp.  
habendam,

MAGNIFICUM ACADEMIÆ RECTOREM, UTRIUUSQUE REIPUBL.  
PROCERES, AC CIVES ACADEMICOS,  
humaniter & officiosè invitat

COLLEGII THEOLOGICI

**DECANUS**


**GEORGIUS MOEBIUS,**

SS. Th. D. ac Prof. Publ. Primarius.

Literis **JUSTINI BRANDI**.







\* \* \*



Vavissima sunt verba, quibus Sal-  
vator noster *Apoc. II. 10.* qui se ibidem *πρῶτον καὶ ἔσχα-*  
*τον*, primum & ultimum appellat, per Evangelistam  
& Apostolum Johannem, Angelum five Epi-  
scopum Smyrnensem alloquitur dicens: *γίνε*  
*πιστὸς ἄχρι θανάτου, καὶ δώσω σοι τὸν στέφανον τῆς ζωῆς:*  
*Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vite.* E-  
piscopum Smyrnensem vocat Angelum, quo  
nomine etiam alibi Ministri Ecclesiæ insigniuntur, vide *Esa. XLII. 19.*  
*Mal. III. 1.* *Matth. XI. 10.* *Marc. I. 2.* *Luc. VII. 27.* *Apocal. I. 20.* Dicuntur autem  
Angeli, tum quia divinitus mittuntur, ut sint divinæ voluntatis In-  
terpretes, tum quia exemplo Galatarum, ut Angeli DEI sunt ex-  
cipiendi *Gal. IV. 14.* Hæc dulcissima verba, quia jam occasio dicendi  
nobis fuit suppeditata, paulo accuratius considerabimus. Ante-  
quam verò hoc faciamus, inquiramus prius, quis eo tempore E-  
piscopus fuerit Smyrnensis, ad quem hæc verba fuere facta, ?  
*Nicolaus Lyra* ad h. l. scribit, Doctores communiter statuere, *Polycar-*  
*pum*, insignem istum Martyrem, & constantissimum **JESU**  
**CHRISTI** confessorem Episcopatum Smyrnensi tunc præfuisse.  
Testatur quoque hoc historia Ecclesiastica; vide *Euseb. lib. IV. Histor.*  
*Eccles. c. 15. p. 128. edit. Vales.* Inprimis verò hoc confirmat *Irenæus l. III.*  
*c. 3. f. 140. edit. Basil.* *Polycarpus*, inquit, non solum ab Apostolis edoctus, & conversatus  
cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea,  
quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus, in prima nostra æta-  
te. Multum enim perseveraverat & valde senex, gloriosissime & nobilissime martyrium fa-  
ciens exivit de hac vitâ. Hic docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ  
tradidit, & sola sunt vera, & testimonium his perhibent, quæ sunt in Asia Ecclesiæ omnes, &  
qui usque huc successerunt *Polycarpo*, qui vir multo majoris authoritatis & fidelioris  
veritatis est testis, quàm *Valentinus*, & *Marcion*, & reliqui, qui sunt perverse sententiæ.  
Et paulò post: *Polycarpus* aliquando *Marcioni* occurrenti sibi, & dicenti: *Cognosce nos,*  
respondit: *Cognosco Te primogenitum Satane.*

Ad hunc itaque Episcopum ut Johannes Epistolam exararet, mandatum à Christo accepit singulare. Summa totius Epistolæ con-  
tinetur in verbis allatis: *Esto fidelis usque ad mortem &c.* Duæ autem par-  
tes in his se se offerunt, 1. Adhortatio seria; 2. Promissio grata. Adhortatio  
constat his verbis: *Esto fidelis usque ad mortem.* Occasio hujus adhor-  
tationis suppeditabatur exinde, quia eo tempore pius ille *Polycar-*  
*pus* multas adversitates, & persecutiones tolerabat ab hæreticis, in-  
primis à *Marcionitis*, & *Valentinianis*, ut & à tyrannis, Christiano-  
rum flagellis, qui ipsum horribiliter persecuti sunt, nec cessarunt,  
donec rogo imponeretur, quâ de re inprimis legendus *Eusebius lib. IV.*  
*Histor. Eccles. l. c.* Has ergò persecutiones prævidens Salvator per lau-  
datum Evangelistam Johannem ad constantiam, & fidelitatem ipsum  
adhortatur, dicens: *Esto fidelis usq; ad mortem.*

Fidelitas

Fidelitas aliàs potissimum in tribus conspicitur rebus ,

1. Quando amici sibi invicem sunt fideles , & jura amicitiae servant .

2. Quando subditi suo Magistratui , liberi parentibus , servi & ancillae dominis suis sunt fideles , ipsisque subjectionem debitam praestant .

3. Quando *contractus & foedera servantur* . In hisce rebus fides imprimis requiritur . Si ergo DEO nostro fidelitatem praestare volumus , tunc fideles etiam sumus ipsi , 1. tanquam amico nostro optimo . In amicis fidelitas & candor praecipue commendantur . Multo magis hoc commendatione est dignum , quando DEO nostro , tanquam benevolentissimo amico , qui tot amoris , & benevolentiae signa nobis cotidie exhibet , sumus fideles .

2. Fideles ipsi sumus *tanquam Domino , & summo nostro Magistratui* . Hic enim est noster Protector , noster Dominus , qui nos fecit Pf. C. 3. qui nos contra inimicos nostros , puta Diabolum , infernum , & mundum potenter defendit , & plurimis cumulat beneficiis . Multi homines in hoc mundo saepe quoque magnam fidelitatem Dominis , vel superioribus suis , & quidem usque ad mortem declarant , imò in ipsorum gratiam vitam suam profundunt . Sic de Regis Saulis armigero narratur , quod ille , cum videret , Regem suum manus violentas sibi intulisse , ipse quoque sibi mortem consciverit . 1. Sam. XXXI. 5. In India orientali in provincia , quae *Java Major* appellatur , quando Rex moritur , etiam ipsius uxores sibi vitam eripiunt . Ita enim de illis *Joh. Ludwig Gottfried in Histor. Antipod. part. 2. p. 371* : Sie haben im Brauch / wann der König mit Tod abgeheth / verbrennen sie den Leichnam / und heben die Asche auf / 5. Tage hernach gehen des Königes Weiber an einen gewissen Ort / und die Obriste unter ihnen wirfft eine Kugel hinweg / wo nun dieselbe liegen bleibet / da gehen die andern alle hin / wenden ihre Angesichter gegen der Sonnen Aufgang / und stechen ihnen selbst das Herze mit einem Dolchen ab / fallen auff ihre Angesichter / und sterben . In alia provincia Indiae orientalis uxores ex summo amore & fidelitate erga maritos defunctos idem faciunt , & superesse vel vivere nolunt . Hinc ipsis mortuis ipsae simul mortem obeunt , & in ignem se conjiciunt . De hisce Abraham Roger in der *Offenen Thür zu dem verborgenen Heydenthum / part. I. c. 19. pag. 184.* ita : Die Weiber pflegen den Mann nicht zu verlassen / sondern ihre Seele soll seine Seele bis in den Tod begleiten . Paulo post : Wenn sie sich aber fürchtet / ins Feuer zu springen / so darff man sie auch nicht darzu nöthigen . Sie halten aber dafür / ein ehrliches Weib / die ihren Mann lieb hat / werde ohne des nicht nein darzu sagen . Ad quae verba Clarissimus *Christoph. Arnold. l. c.* haec annotat : Diese Gewohnheit / daß die Weiber mit ihren todten Männern sich verbrennen lassen / ist sehr alt . Herodotus , Strabo und andere haben schon davon wissen zu sagen / und wird auch solche alte Gewohnheit nicht nur allein in der Gegend Chormandel unterhalten / sondern auch in unterschiedlichen andern mächtigen Königreichen und Ländern in Indien / als Pegu , Biam , Seylon , Bali , Gufaratte , und andern Orten mehr . Hoc faciunt ethnici homines & fidelitatis constantiam hac ratione ostendere conantur . Sed fidelitas haec caret mandato divino , & modus istius rectè ab aliis improbatur . Interim si homo homini tantam fidelitatem exhibet , ut morte illam obfignet , quanto magis nos erga DEUM hoc facere debemus . In ipsius ergo honorem parati sumus vitam profundere , & tyrannis capita offerre . Hoc requirit subjectio , & fidelitas illa , quam Salvator h. l. commendat .

3. Fideles

3. Fideles quoque ipsi sumus ob pactum & fœdus, quod cum ipso inivimus. Omnes Christiani in lavacro baptismali fœdus cum DEO pangunt, ipsique promittunt, quod cum Diabolo ipsiusque operibus nullum velint habere commercium, sed DEO, ut DOMINO, & liberatori suo, soli servire. Hujus fœderis semper debemus esse memores, & omnem navare operam, ne erga DEUM nostrum fiamus fœdifragi. In hoc mundo quidem multi fœderibus & contractibus ludunt, sicuti pueri tesseris. Fides dictis promissisque nulla, nisi quatenus expedit. Alii cum Mahomete II. Turcarum Rege existimant, fidem mercatorum esse, non principum, quod illi à fide, isti ab armis pendant. Talem detestandum morem DEUS ferre non potest. Qui pactum cum ipso initum frangit, nec per veram pœnitentiam illud iterum restabit, in tenebras exteriores ejicietur, ubi planctus & stridor dentium, Matth. XXII. 13. Fideles ergo sumus DEO nostro usque ad mortem. Est enim

1. *Fides debita.* Hanc debemus DEO nostro, utpote qui noster est *Pater*, qui nos creavit, *Deut. XXXII. 6.* qui noster est *Sponsus*, qui se nobis sponsavit in æternum, *Ose. II. 19.* qui nostri misertus & memor fuit, cum projecti essemus in terram, *Ezech. XVI. 6. 7. 8.* qui noster est *frater*, & compatitur infirmitatibus nostris, *Ebr. IV. 15.* qui custodit omnia ossa nostra, ne ullum pereat, *Psalms. XXXIV. 2.* & tandem è terra nos ad vitam æternam suscitabit, *Job. XIX. 19.*

2. *Est fides æqua.* Æquum enim & justum est, ut illi fidem præstemus, qui noster est Dominus, cum quo in baptismo fœdus pepigimus, promissimusque, quod illi soli velimus servitia præstare, & honorem debitum exhibere. Sicut enim æquitas requirit, ut servi obediant suis dominis, & subditi suo Magistratui, utpote à quo contra injuriam, & vim hostium defenduntur, & proteguntur: Ita æquissimum est, ut supremo Domino, qui est Dominus dominantium, & nos contra Diabolum & infernum potenter defendit, sumus fideles, ipsique cum debita subjectione serviamus. Quis quæso non excretur servos, qui fidem frangunt, & erga Dominos suos fiunt rebelles! Quis non illos detestetur! Pari modo detestandi, & diris devovendi sunt, qui tanquam impii servi erga cœli mundi que dominum, à quo tot beneficiis fuerunt cumulati, infideles deprehenduntur, & fidem datam violant.

3. *Est fides honesta.* Haut enim in rebus inhonestis, aut illicitis fidem promissimus, sed in justis, piis & honestis. Pium ergo, & honestum est, ut Domino, creatori, & Servatori nostro, qui nos innumerabilibus affecit beneficiis, sumus fideles, quippe cui fidem in baptismo dedimus, cui nos juramento obstrinximus, imo cui omnia, quæcunque habemus, accepta referre debemus. Honestas igitur requirit, ut promissis nostris stemus, & fidem datam illibatam conservemus. De Rudolpho Imperatore refert *Reisnerus Class. 2. Symbol.* quod cuidam ad se venienti, & promittenti, se *Ottocarum*, Bohemiæ Regem, si præmium acciperet, occisurum, indignabundus responderit: Etsi noster hostis est *Ottocarus*, minus tamen efficietur, ut prætergrediar fines justitiæ, & honestatis. Digna Imperatore vox! Cum honestate ergo pugnare judicavit Imperator optimus, ut Regem illum per insidias obtruncaret. Multo magis cum honestate pugnat, si fidem frangimus, & DEO, ut summo benefactori nostro terga obvertimus.

Sed quid tandem fiet, si prædicto modo fidem DEO nostro præstiterimus, si pacta illibata usque ad finem vitæ conservaverimus? Id in altera parte declaratur, ubi proponitur 2. *Grata promissio.* Ita enim ibidem Salvator: *Dabo tibi coronam vitæ.* O quantum præmium reponat fidelitas! Quantis beneficiis coronantur illi, qui Jesu, liberatori suo

suo, fidem ad finem vitæ præstant! Perpendite hoc quæso! Nam promittitur hîc corona vitæ illis, qui sunt fideles usque ad mortem, id est, qui verâ fide Christo per totam vitam adhærent, ipsiusque meritum sibi applicant. Ergo corona illa non datur propter merita, & bona opera nostra! Hoc alibi quoque Salvator confirmat apud Johannem c. III. 16: *Sic DEUS dilexit mundum, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Turpiter igitur errant Pontificii, quando coronam vitæ æternæ operum meritis ascribunt. Sed juvat hanc vitæ coronam, quam verâ fide acquirimus, paulò accuratius contemplari. Appellatur *corona vitæ.* Quæris causam? Dicamus: Corona vitæ dicitur in oppositione ad alias, quippe quæ omnes quasi emoriuntur, marcescunt, & pereunt. Etiam si enim vel ex auro, & gemmis contextæ sint, sunt tamen coronæ corruptibiles, nec perpetuò splendent, vel durant. Hinc rectè Paulus 1. Cor. IX. 25: *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Petrus quoque 1. Ep. V. 4. vocat *inmarcescibilem gloriæ coronam.*

Hæc itaque corona 1. erit *pretiosissima.* Coronæ ut plurimum parantur ex auro & gemmis, & hæc ratione magni sunt pretii. Sed nil hæ coronæ ad pretiositatem coronæ vitæ! Nulla comparatio hîc institui potest. Umbræ sunt coronæ omnes mundanæ erga coronam vitæ. Coronæ mundanæ quoad pretium possunt æstimari; At corona vitæ transcendit omne pretium, imò nec æstimari, nec valor illi statui potest.

2. Erit *corona pulcherrima.* Coronæ mundanæ sæpe texuntur ex pulchris floribus, imò variæ figuræ, & formæ illis imprimuntur; ut taceamus, diversa harum genera fuisse excogitata. Nam fuit 1. *Corona vallaris*, five castrensium, ex auro in valli speciem efformata, & illi data, qui primus hostilia castra pugnando invaserat; 2. *Muralis frondea*, illi donata, qui primus murum subierat, inde velut pinnis muralibus intercisa. 3. *Civica*, quâ civis civem donabat, ob salutem vitamque ab eo perceptam, eratque ilignea, vel querna. 4. *Navalis*, five rostrata, quibusdam quasi navium rostris insignita, quam accipiebat, qui prælio maritimo primus hostilem navem infilierat. 5. *Obsidionalis*, quam obsessi liberatori suo ex gramine loci obsessi plexam offerebant. 6. *Ovalis myrtea*, quâ utebatur Imperator, qui in cruenta victoria hostem profligaverat. 7. *Triumphalis aurea*, quæ Imperatori ad honorem triumphi mittebatur; vide de variis hisce coronarum generibus *A. Gellium, l. V. Noct. Attic. c. 6. p. 134.* De Cæsare Caligula scribit *Alexander ab Alexandro l. IV. dier. genial. c. 18. p. 567.* quod novi generis coronas, Solis, lunæ, & fiderum species exprimentes excogitaverit. Sed hæ coronæ omnes, si ad coronam vitæ comparaveris, nullo habentur loco, imò squalidæ, & evanidæ sunt. Longe pulchrior ergo est illa, quam Salvator noster nobis paravit. Illa enim in se continet ipsam vitam æternam, quæ coronæ assimilatur, 1. *ob perfectionem.* Nam corona symbolum est perfectionis ob sphericam figuram, quæ principium cum fine conjungit. Coronæ ergo, quas vel offerentes portabant in sacrificiis, vel ipsa etiam sacrificia, significarunt, nihil mutilum & mancum Deo offerendum, sed perfecta omnia debere esse, atque integra. Sic in vita æterna omnia erunt perfecta, nihil ibi occurret, quod mutili & imperfecti speciem præbebit. 2. *Ob singularem honorem.* Coronis qui ornati incedunt, ab omnibus habentur in honore, vel saltem honore dignissimi judicantur: Ita qui vitæ fruuntur æternæ ab omnibus cœlicolis magno afficiuntur honore. 3. *Ob singulare gaudium.* Qui Coronis ornati fuere pulchris, & pretiosis, maxima perfusi fuere lætitia, quia ejusmodi coronæ ipsis magnum splendorem, & auctoritatem, conciliare solent: Ita qui cœlo recepti coronæ vitæ æternæ fuere ornati, ineffabilia percipiunt gaudia, quia DEUS ibi habitabit cum eis, & absterget omnem lacrymam ab oculis ipsorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, *Apocal. XXI. 3. 4.*

3. Erit *corona perpetuò duratura.* Coronæ, quæ in hoc mundo necuntur, & præparantur, corruptioni sunt obnoxia, & plurimæ harum jam dudum perierunt, & in nihilum fuere redactæ. Sola hæc corona æternum durat, nec ab ulla carie, aut blattis corradit & consumi potest. Hinc appellatur *corona inmarcescibilis*, 1. *Petr. V. 4.* Haut ergo centum, vel mille, vel decies mille annos,

sed

sed in omnem æternitatem viridis, & florida permanebit. *Iusti enim, ut est apud Danielem cap. XII. 2. fulgebunt quasi splendor firmamenti, & quasi stella in perpetuas æternitates.*

Eant nunc Poëtæ, & laureas suas coronas efferant, aut etiam, nescio quid divinitatis illis ascribant, quod cæcinitus nec Jovis iram, nec fulmina debeat metuere. Eant milites, & coronas suas oleagineas jactitent, qualem Themistocles, quod Græciam liberasset, ab Atheniensibus reportasse dicitur, quia olea pacis signum est, quæ bello reducitur. Eant pugiles, & coronas suas deprædicent, uti de Siccio Dentato refert *Alexander ab Alexandro l. IV. dier. Genial. cap. 18. p. 567.* quod 14. civicas, tres murales & octo aureas coronas ex certaminibus retulerit! Eant porro Reges & Imperatores, & de coronis suis pretiosis glorientur! Nihil hæc omnes ad vitæ æternæ coronam! In nullum censum & pretium possunt venire respectu istius.

Fideles ergo sumus Salvatori nostro, & ipsi usque ad mortem verâ & constanti adhæreamus fide, ut hanc vitæ coronam reportemus. Invitat nos ad hoc fidelitatis studium suavissima Christi admonitio dicentis ad Episcopum Polycarpum: *Fidelis esto usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ!* Quisquis ergo præstantiam, & pulchritudinem hujus coronæ rectè æstimaverit, ille ab amore rerum terrenarum facile se abstrahet, & cœlica petet regna. *Obliviscamur igitur eorum, quæ retro sunt, ad ea, quæ priora sunt, nos ipsos extendentes, præfixum exequamur scopum, ad brabeum supernæ vocationis Dei in Christo Jesu, Phil. III. 13.* Rectè *Chrysostomus Epist. V. ad Theodor. lapsi: Si Petrus, qui vidit obscuram quandam imaginem futurorum, omnia continuo rejicit ab animo propter voluptatem inditam animæ à tali aspectu, quid dicemus, quando rerum veritas aderit, quando regis cubiculis adaperitis contueri licebit ipsum regem, non per ænigma, nec per speculum, sed à facie ad faciem.* Benè quoque *Fulgentius Epist. VI. c. 4. Quis non illius vitæ desiderio præsentem vitam despiciat? Quis non illius abundantiae delectamento divitias temporis labentis exhorreat? Quis non illius regni dilectione omnia terrena regna contemnet? Illam ergo vitam tunc accipiemus, si hinc nos vitæ mortuos æstimemus, & illas divitias tunc possidebimus, si hic pauperes spiritu vivemus &c.* Hanc cœlestis beatitudinis coronam *Serapion* anachoreta tam profundè animo infixerat, ut mundo, rebusque mundanis valedicens, nudusque per agros discurrens, & sacrum Testamenti volumen manibus tenens, petentibus nonnullis, unde repentina ista morum mutatio, rigorque ille insuetus nasceretur, responderit, volumine ostenso: *Hoc me spoliavit.* Hic scilicet prædo est, qui vestes & facultates deprædatus est, hoc scilicet volumen divinarum promissorum thesaurus tot mihi mirabilia de alterius mundi vita narravit, tot mihi gloriæ cœlestis coronas depinxit, adeoque certum ejusdem me reddidit, nihil ut amplius in hoc mundo amare queam, sed relicta terrâ in altissimo domicilio spes meas collocem, & pulcherrimam illam vitæ coronam exoptem! Vide *D. Osiandr. Cent. IV. Histor. Eccles. c. 49. p. 249.*

Si interea multæ adversitates Te, ô pie Christiane, affligunt, & excruciant, patienti illas tolera animo! Salvator tuus illas omnes novit, & suo tempore te ex illis eripiet. Sicut enim ad Polycarpum Episcopum Smyrnensem dicebat v. 9: *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam:* Ita adhuc hodie novit omnes nostras adversitates, & persecutiones, ex quibus certo tempore nos educet.

Sicut porro Polycarpus meritissimus ille Episcopus, etiam si plurimis adversæ fortunæ telis jactabatur, & multis persecutionibus ab hostibus suis premebatur, adeo ut ipsum tandem miserrimum in modum trucidârint, dum rogo imposuerunt & combusserunt, vide laudatum *D. Osiandr. Cent. II. Hist. Eccles. c. 8. p. 64.* nihilominus ille jam in cælo triumphat, & coronam gloriæ inter applausus omnium angelorum, & cœlicolarum lætus reportavit: Ita & nos eadem felicitas manet. Eadem ergo post tot persecutiones, & afflictiones corona gloriæ in cælis nobis est reposita.

Quorsum nunc hæc à nobis proponantur, & quæ res nobis didicendi occasionem jam suppeditaverit, paucis edifferamus. De *Episcopo Smyrnensi* ab initio audivimus, quod filius DEI per Evangelistam Johannem ipsum compellaverit, admonueritque, ut esset fidelis usque ad mortem, & tunc futurum esse, ut coronam vitæ acciperet. *Polycarpus* vel *Episcopus* hic, fuit typus omnium verorum antistitum, & Theologorum orthodoxorum. Hos etiam Salvator in verbo suo adhuc adhortatur, ut sint fideles, & bella Domini contra hæreticos, & infideles fortiter gerant, hominesque ad vitam perducant æternam. *Qui nunc hoc faciunt, illi sunt veri πολυκαρποι, id est, multum fructum ferentes.*

Sicut

Sicut verò Salvator tunc temporis *septem Ecclesiis* in Asia *septem* dabat *Angelos*, vel Episcopos, *Apocal. I. 20.* ut homines in doctrina Christiana informarent, & verbum DEI ipsis annunciarent: Ita adhuc hodie tales *Angelos*, vel *Antistites*, & præclaros Theologos nobis mittit, qui verbum Dei purè annunciant, contra adversarios defendunt, & homines ex spissis errorum tenebris ad lucem verbi divini pertrahunt. His tandem post varia certamina, & varios labores coronam gloriæ imponit, & ad gaudia perducit æterna. Hisce præclaris Antistitibus, & Theologis, qui nostro tempore floruerunt, & Ecclesiam Christi scriptis, & vivâ voce informarunt, meritò etiam accensemus Par fratrum nobilissimorum, Viros scilicet summè Reverendos, Magnificos, Amplissimos atq; Excellentissimos Dn. D. JOHAN. OLEARIUM, *Reverendissimi ac Serenissimi Principis, ac Domini, Domini AUGUSTI, ArchiEpiscopatus Magdeburg. Administratoris, Ducis Saxon. Jul. Cliv. & Montium &c.* & post beatissimum hujus obitum *Serenissimi Principis ac Domini, Domini JOH. ADOLPHI, Ducis Saxon. Jul. Cliv. & Mont. &c.* Concionatorem aulicum primarium, Consiliarium Ecclesiasticum, & Superintendentem generalem, *ῥῶν ἐν ἀγίοις*, ut & Dn. D. Gottfried OLEARIUM, Elect. Brandenb. in Circul. Salin. Ducatus Magdeburgici Inspectorem primarium, Halæ ad B. Virg. Pastorem, Ecclesiæ ibidem Superintendentem, Scholarch. & Ministerii Seniore, beatæ quoque memoriæ. Hi fuere Theologi non infimæ cavæ, sed præclari, laboriosi & de universa Ecclesia Christi meritissimi. *Polycarpo* nostro non fuere dissimiles. Nam 1. Polycarpus erat Antistes & Episcopus Smyrnenfis, & quidem fidelissimus. Nostri B. OLEARII etiam fuere Antistites, hic quidem *Hallensis*, iste verò *Weissenfelsensis*, & quidem generalis. 2. Polycarpus variis cum hæreticis certavit, inprimis cum *Marcionitis & Valentinianis*: Idem prælium & eadem certamina cum multis hæreticis habuere nostri OLEARII, quod testantur ipsorum scripta in publicum emissa. 3. Polycarpus erat admodum laboriosus, & Evangelium Christi masculè propagavit: Idem fecere b. nostri Antistites. In vinea enim Christi strenuè laborarunt, & in diversis quoque locis Christum prædicarunt, & hoc fecerunt non tantum vivâ voce, sed etiam egregiis scriptis. 4. Polycarpus multas toleravit persecuciones, & tandem martyrium subiit; Nostri B. OLEARII multa quoque in hoc mundo pertulere mala, & quamvis tale martyrium, quale Polycarpo obtigit, non sustinere, in corpore tamen tot acutos, & diuturnos morbos tolerarunt, ut uni ex his usus pedum per longum temporis intervallum fuerit profus denegatus, ut sic martyrum numero verè accenseri possint. Nam *etiam illi sunt Martyres*, inquit Cyprianus Epist. 37. *qui longâ aegritudine correpti moriuntur.* Sicut verò Polycarpi istius, utpote meritissimi Antistitis Smyrnenfis Historia Ecclesiastica passim honorificam facit mentionem, & memoriam ipsius in libris conservat: Ita fas, & æquum est, ut etiam B. OLEARIORUM nostrorum, utpote Antistitum præclarissimorum, qui Ecclesiæ Christi multa attulerunt commoda, recordemur, nec memoriam eorum tam subito ex animis deponamus. Et quanquam scripta ipsorum præclara nomen immortale ipsis conciliant, fas tamen est, & pietas hoc requirit, ut horum summorum Theologorum memoriam etiam apud nos conservemus juxta monitum Apostoli *Hebr. XIII. 7.*

Quandoquidem verò crastinus dies uni ex his, videlicet B. D. JOH. OLEARIO emortalis fuit, quo ante annū vitam cum morte beatè comutavit, alterū verò dies XX. Febr. hujus anni, octogenario majorem nobis eripuit, igitur decrevit Facultas nostra Theologica ipsis ob merita summa in Ecclesiā orthodoxā justa facere, & oratione parentali beatos ipsorum prosequi manes. Eā de causa Vir summe Reverendus, Amplissimus, atq; Excellentissimus Dn. Joh. Bened. Carpzovius, SS. Th. D. ejusdemque PP. celeberrimus, atque ad D. Thomæ Pastor vigilantissimus, Fautor, Collega, & amicus noster honoratissimus de vita, & virtutibus illorū verba faciet. Magnificū ergò Academiae Rectorem, ut & utriusq; Reip. Proceres, & Cives nostros Academicos decenter atq; amicè compellamus, velint in honorem summorum istorum Theologorum crastino die, DEO dante, post finita sacra, in Auditorio Collegii Majoris Principum comparere, disertissimū istum Oratorem benevolè audire, & sic reipsa contestari, quanti faciant Theologos præclaros, & in specie quanti æstimerint *Doctores istos Olearios!* Erit hoc pietatis officium singulare, quod præclarissima familiæ Olearianæ cedet honori & solatio magno, nosq; hoc ipsum reciprocis officiis redhostire nunquam non allaborabimus. PP. die XIII. April. Anno *MDCCXXXV.*

Ἐρωτησεως M. DC. LXXXV.





F.K. 63.

13

X 205 4074

IV, 46

Z d  
1355

AD  
ORATIONEM  
PARENTALEM

in obitum  
DUORUM PRÆCLARISSIMO  
VIRORU

Summè Reverendorum, Mag  
morum, atqve Excellentif

D<sub>N</sub>. D. JOH.  
OLEA

Reverendissimi, ac Serenisimi Pr  
mini AUGUSTI, Archi-Episcopatus Magdel  
Saxon. Jul. Cliv. & Mont. &c. felicissimæ memoriæ, & po  
mi Principis ac Domini, Dn. JOH. ADOLPHI, Ducis S  
cionatoris aulici primarii, Confiliarii Eccles  
generalis fidelissim

D<sub>N</sub>. D. GOTT  
OLEA

Elect. Brandenburg. in Circul  
burg. Inspectoris primarii, Halæ ad B. Virg. Pasto  
dentis, ut & Scholarchæ vig  
de universa Ecclesia Christi me  
*vñv èv aγλοis,*  
Craftino die XIV. Aprilis, horâ VI  
peracta sacra, in Collegio Major  
habendam,

MAGNIFICUM ACADEMIÆ RECTOREM  
PROCERES, AC CIVES ACA  
humaniter & officiosè i  
COLLEGII THEO

DECANUS  
GEORGIUS MOEBIUS,  
SS. Th. D. ac Prof. Publ. Primarius.

Literis JUSTINI BRANDI.

